

HUGO DE FOLIETO

NOTITIA

MABILLON., *Annal. Bened.*, tom. VI, pag. 457)

Jam locus postulat ut de Hugone de Folieto agamus, viro per ea tempora celebri, de quo mirum est quam variaz circumferantur sententiaz; nec quid de eis statuendum sit, hactenus sat compertum sit. Gabriel Pennotus, more suo delirans, ait, Hugonem de Folieto Cordubensis Ecclesiaz, provinciaz Hispalensis, canonicum regularem fuisse. Ciaconius Hugonem cardinalibus accenset, scribitque eum esse Gallum, canonicum regularem monasterii S. Petri Corbeiensis in Saxonia. Tot verba, tot errata. Ad veteres quod attinet, Guillelmus de Nangiaco (1) eum vocat monachum, et ex allorum sententia canonicum regularem Vincentium Bellovacensis, et ex eo S. Antonianus Hugonem de Folieto S. Petri Corbeiensis canonicum asseri dicunt. Alii propius ad veritatem accedentes, eum S. Petri Corbeiensis monachum in cella S. Laurentii de Helliaco fuisse opinantur. Denique plerique cum Ciaconio eum cardinalem faciunt. De his quid certo statuendum sit, inquirere juvat.

Hugo de Folieto, sic dictus a suburbio cognomine antiquae Corbeiae, ubi natus est, haud dubie canonicus regularis ordinis S. Augustini fuit in monasterio S. Laurentii de Helliaco, qui locus tertio amplius a Corbeia milliari abest. Illic locus primo concessus fuerat monachis S. Joannis de Angeriaco, ut in superioribus diximus; sed paulo post datus clericis, qui regulam S. Augustini in magna paupertate sectabantur. Id factum sub initio saeculi duodecimi, pontificatu S. Godefridi episcopi Ambianensis, assentiente abbate Corbeiensi, de cujus feodo erat terra Helliacensis, adeoque locus, in quo haec S. Laurentii ecclesia sita erat.

Eadem regula ibidem perseverabat hoc anno, quo anno Eugenius III apostolicae tutelae privilegium indulxit *dilectis filiis, Olrico priori ecclesiae S. Laurentii, quae juxta Corbeiam sita est, ejusque fratribus canonicam vitam professis*; et quidem *secundum beati Augustini Regulam*, ut in diplomatis contextu legitur. Haec bulla data est Viterbii, v Idus Martii, anno praecedente, secundum veterem calculum, Eugenii quinto. Idem ordo canonicus ibidem perseveravit usque ad annum 1205, quo ejus loci canonici regulares, assensu abbatis Corbeiensis, monachis Lehunensibus in Sanaterra, ordinis Cluniacensis sese dederunt. Sed tandem hic locus, a Lehunensibus desertus, ad Corbeienses fundi dominos rediit. Illic in loco inculco, solitario et arido una superest S. Laurentii aedificula cum aliquot veteris monasterii vestigiis. Eo in loco sub Olrico priore canonicam, et quidem pauperem vitam agebat Hugo de Folieto, factus anno 1153 post Olricum prior, quo in munere decessit, ut mox videbimus. Corte anno 1152, quo Guarinus S. Vedasti abbas cum illis canonicis de decimis Dodonis villae diocesis Ambianensis transegit, testes ex clericis nominantur *Olricus praefatus, Hugo de Foliaco, Rorgo subprior*. At idem Hugo anno sequenti prior erat, quo anno Theodericus Ambianensis praesul Balduinum de Durz (vulgo *Dours*) et Beatricem ejus uxorem ab excommunicatione, quam ob damna Ecclesiae Ambianensi illata incurrerant, absolvit *per manum domni Hugonis venerabilis ejusdem loci S. Laurentii prioris*, facta prius modica satisfactione Ecclesiae Ambianensi. Anno 1174 Simon prior Hugoni successerat, quo anno Theobaldus Ambianorum episcopus, petente Simone S. Laurentii priore, confirmat conventionem, inter ejus ecclesiam et Balduinum de Dors, tempore Theoderici episcopi factam ad obtinendam praedictam absolutionem. Octennio post Milo ejus loci prior erat, ut patet ex litteris Hugonis abbatis Corbeiensis suo loco referendis. Eodem tempore Theobaldus Ambianensis antistes *Miloni priori S. Laurentii ejusque fratribus regularem vitam professis* ecclesiam S. Nicolai de Regniaco ad formam eorum institutionum ordinandam committit. Post hunc Milonem nullus alius occurrit S. Laurentii prior in Corbeiensi archivo, ex quo haec omnia accepimus. In Necrologio Corbeiensi notatur : *vi Idus Septembris Hugo prior S. Laurentii*. Haud scio an idem sit *Hugo de Folieto* notatus in Necrologio S. Petri Carnutensis vi Nonas Octobris. Ut ut est, ex his satis intelligitur Hugonem illum de Folieto, S. Laurentii priorem, cui libros De claustrum animae tribuendos esse mox videbimus, non fuisse Romanae Ecclesiae cardinalem.

Id autem in primis ad Hugonis de Folieto commendationem facit, quod postulatus abbas a canonicis regularibus S. Dionysii apud Remos, postulationi acquiescere noluit. Id contigit post mortem Ursionis abbatis, quem hoc anno Marlotus (2) dicit obiisse iv Kal. Martii. Tunc electus fuit, agente Guerrico Igniacensi abbate, Hugo de Folieto, uti discimus ex ejus epistola necdum edita, digna certe quae hic integra referatur ad illustrandam pissimi et doctissimi viri modestiam. Sic autem habet in membrana quadam Corbeiensi :

Domino H. frater Hugo de S. Laurentio, salvari ab eo, qui salvos facit rectos corde.

Electio, quae de nobis a canonicis Beati Dionysii assensu Samsonis venerabilis Remorum archiepiscopi facta perhibetur, ex radice consilii domni Guerrici Igniacensis abbatis, sicut audivimus, prodit in publicum. Miramur super hujusmodi negotio viri prudentis discretionem, qui me fratribus tam diversi propositi sociare nititur. Saccum serico consult, et quasi posterioribus vulturis, pavonis inserit caudam. Ut iterum figurata loquar : Hircocervum fingit; nec tantum fingit, sed etiam pingit. Hircocervum fingit, si existimet aliquis de

(1) Spicil. t. XI, ad an. 1140.

(2) Metropol. Rem. t. II, p. 153.

me supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Hirrocervum pingit, qui personam meam adornat diversarum virtutum nominibus, quasi diversis coloribus. Quare tam hirsuti velleris animal, animali pitis obsito delicatis jungere desiderat? Illud natura non genuit, hoc usus prohibet. Si de persona querat, de homine parum habeo; si mores inquiruntur, turbulentus sum inter fratres; si dabitur de opere, puillanimitas sum in magnis. Locus ille sublimis est; sublimis ei persona debetur. Propinquus est curiæ, præmunitionum consilio, discretum et eloquentem requirat virum; in me autem nihil horum reperiet. Proposita nosti. Fratres divitiis abundant, nos paupertati subiectimur. Si renuntiavero paupertati, factus sum opprobrium vicinis meis valde. Si divitiis approximaturo, in ascensu lapsum timeo, in sublimitate ruinam. Conctor nimis. Si discessero, multi de fratribus nostris se discessuros affirmant. Si divitiis occurrero, paupertatem in me præteritam populus accusat; factus sum scandalum fratribus, opprobrium populo. Angustiæ mihi sunt undique: quoniam audivi vituperationem multorum commorantiam in circuitu. Dicunt aliqui: Abbas esse tenuit; episcopatum desiderat. Testis est Deus: Pereat anima mea de populo Dei, si a juventute mea usque ad hanc diem primatum in Ecclesia concupivi. Causa quæritur, Deus est in causa. Iterum non sum tanti. Vix mihi soli sufficio: et, si voluntas adesset, infirmitas negaret. Lassescentis stomachi vomitu multo tempore laboravi. Aliquantulum cessat inundatio vomitus; sed ex levi quandoque commovelet occasione. Rem notam refero. Diversis infirmitatum generibus affligi consuevi; et tamen metropolitani nostri amica coactione sollicitor; amica, ni fallor, quia et ignotam personam familiarem sibi fieri, sublimari vilem, pauperem ditari compellit. Gaudeo plane, quia personæ tanti nominis familiaris effici merui: sed timeo valde, ne, si recusem quod postulat, tanto gravior apparuero. Rogo te, habe me excusatum. Excusationis causa conveniens est. Habeo enim patrem senem et infirmum, dominum videlicet Oltricum priorem nostrum. Infirmitate deseram, et seni servire recusabo? Ipse enim diligit me pater, et ego diligo eum; et apud eum manebo, quoad ipse vixerit, si potero. Suggere igitur domno Igniacensi, ne turbet aquam pauperis, aut cum silentio currere consueverat. Timeo enim ne si Remis veniam, remissius vivam.

Hactenus Hugonis epistola, in qua ubi ait se mirari quod Guerriens abbas ipsum fratribus tam diversi propositi sociare niteretur; id non ita intelligendum est, quasi aliam ab illis regulam sectatus sit: sed quod illi curiæ archiepiscopi propinque essent, hi in horrida solitudine positi: illi divitiis abundarent, hi in summa paupertate degerent, quam Hugo absque scandalo se commutare non posse dicit.

Jam vero, quando huc devenimus, de ejus scriptis, si qua sint, inquirendum superest. Hugonis de Folieto in multis quos vidimus codicibus tribuuntur quatuor libri De claustro animæ, qui inter opera Hugonis de Sancto Victore editi sunt. Ad calcem tamen Thomas Garzonius canonicus regularis observat, se hos libros sub nomine magistri Hugonis de Sancto-Victore impressos comperisse: sed, quia tamen a phrasi ejus et professione nonnihil dissident, se potius accedere illis, qui eos Hugonis a Folieto esse censent. Quod vero addit idem editor, Hugonem, cum hæc scriberet, a regula canonica divi Augustini ad arctiorem divi Benedicti, cujus passim meminit, uti et S. Augustini, transiisse, etsi libenter ob tanti viri meritum admitterem ad ordinis nostri honorem; tamen, ut sincere loquar, falsum esse ex ipsis Hugonis verbis mox ostendam, cum ejus esse hos libros demonstravero.

Diu de nomine auctoris, etiam apud veteres, dubitatum est; idque inde accidit, quod auctor in Prologo ad fratrem anonymum, cujus rogatu hos libros scribere aggressus erat, nomen suum reticere jussit. Nulli ergo, inquit, nostrum, frater, patefacias nomen, ne ex insipientia auctoris et personæ vilitate, operis nostri labor vilescat. Hinc in codice Cheminonensis monasterii, diocesis Catalaunensis, libris illis sic titulus apponitur: *Incipit prologus auctoris sine nomine in opus subditum De claustro animæ. Dicunt tamen operis exatitisse auctorem Hugonem de Corbi, canonicum S. Laurentii atque priorem.* Verum in codice Fulcardimonensis diocesis Rothomagensis habetur libellus domni Hugonis de Folieto ad amicum volentem nubere, et in eodem codice post duos sermones S. Bernardi et epistolam sequitur: *Item Hugonis canonici et prioris De Folieto, de duodecim abusibus claustrum: quod argumentum est libri secundi De claustro animæ.* Ad hæc in codice olim Thuaneo, nunc Colbertino: *Incipit prologus magistri Hugonis de Folieto, pridus cononicorum S. Laurentii in pago Ambianensi, in libro De claustro corporis et animæ.* Denique in Elencho mss. Belgii Hugo de S. Laurentio tribus in locis auctor illorum librorum dicitur. Guillelmus quidem de Nangiac Hugonem de Folieto, qui librum *De claustro corporis et animæ* scripsit S. Petri Corbeiensis monachum vocat: at mox subdit, alios dicere, istum Hugonem in pago Ambianensi fuisse canonicum regularem, quod quidem ex ejus operis contextu facile probari potest.

Præclarum est istud opus, et religiosis viris lectu maxime dignum, cujus aliquod specimen hic dare visum est. Hoc opus distinguitur in quatuor libros. Primus claustralium tentationes et religionis commoda explicat. Secundus claustrum materialis ordinationem et dispositionem. Tertius animæ claustrum ordinat. Quartus claustrum non manufacti, id est cœli, habitationem appetendam commendat. In primo quatuor claustralium tentationes aperiuntur, scilicet loci amœnitatis, ut civitates et oppida; loci oppulentiæ, pretiosus ornatus, et mulierum conversatio. Tum auctor commoda religionis explicat.

In secundo agens de numero recipiendorum fratrum, ait tot esse admittendos, qui ordinate vivere possint, ne vel prætextu paupertatis irregulariter vivant, vel pro multitudine cohabitantium necessitati eorum illicita quærant; ubi non probat, quod per cellas duo vel tres, vel etiam quatuor aut quinque habitent; laudatque quosdam monachos, haud dubie Cistercienses, quos heredes beati Benedicti esse dicit, qui non minus quam duodecim fratres ad nova monasteria transmittunt: *ne religionis opus paucitatis negligentia corrumpatur.* De cibis ita statuit. *Fructibus arborum, et terræ nascentibus utantur: butyro, aut oleo, seu lacte, non sagimine eorum pulmenta condiantur. A carnibus abstineant, nisi aut necessitate, aut dispensatione extra conventum alicubi concedatur. Vino licet uti fratribus in conventu: sed tamen vitulum summopere nobis esse credimus (quod cum verecundia dicturi sumus), ne scilicet, quod misericorditer conceditur, ut a quibusdam fieri solet, quasi ex debito requiratur. Non enim promittimus, sed concedimus. Si autem locus aut paupertas quod concedimus negaverit; iis, quæ regio, aut possessio ministraverit, sine murmure utantur. Nemo igitur nostri propositi abhorreat abstinentiam, quæ de omnibus ciborum generibus solum carnis excludit usum; cætera vero concedit, et benigne subministrat.* Ubi de numero ferulorum agit, duo cocta singulis assignat, et tertium crudum ex terræ nascentibus ad mentem S. Benedicti in diebus jejuniorum, cæteris vero diebus in prandio duo ferula cocta; in cœna unum crudum, vel coctum pro voluntate præsentis. Ad vestes quod attinet, sufficere ait unicuique fratrum tunicas duas, pelliceam unam, superpellicium, pelles sive pallium, cappam, femoralia, caligas, pedules, et propter laborem scapulare; quæ omnia de canonicis regularibus manifeste intelligit. Dein agit de duodecim abusibus claustrum, in quarum septima, quæ est de habitu pretioso: *Juxta Regulam, inquit, tempore S. Benedicti, quod vilius occurrerit, non quod carius fuerit emendum puto: ut sit diversitas inter*

indumentum palatii et monachi. Tum subtil : Loquor qualiscunque canonicus de monachis. Sed quid diri debeat de quibusdam nostri ordinis canonicis, et mens, et facies vehementer erubescunt. Lectuli eorum culcitra fulciuntur plumis, linteis, et lodicibus accurate parantur, etc. Ex his luce clarius patet, Hugonem fuisse canonicum regularem cum hæc scribit infra : Inter illos etiam, qui tunicis induuntur, id est monachos, voluptas pedem posuit : non quod camisiis utantur, sed quondam delicato panno, qui vulgo saia dicitur. In ostensione igitur lanæ vestis asperitatem conversationis ostendunt : sed in delectatione delicati panni, suavitate mollium querunt. Vidi et ego, inquit, ni fallor, monachum camisiam indutum, jocantem et dicentem : Charior est stamina, quam camisia : tunica vero vestiri magna est difficultas. Sed forsitan dices, quod infirmus fuit hujusmodi. Imo sanus et petulans, et pingui residens equo ; abundans rebus, et curias frequentans : qui tamen ante conversationis habitum pedes ire consueverat, nec semper lineis induebatur. Cetera prætereo, ne longior sim, qui forte jam longior fuisse nonnullis reputabor.

In prologo libri tertii ait Hugo, quod ea quæ de ordinatione claustris materialis in superiori libro dixerat, non solum scripta, sed etiam pro loco, et tempore, et personis esse ordinata, et executioni mandata in loco, ubi debebat; nullum recessisse, omnesque huic ordinationi consensisse, *exceptis quibusdam laicis seu fratribus conversis, qui adhuc, inquit, jugum portant, et murmurant; et tales, qui in sæculo pauperiores vixerunt, quam nunc vivunt; et nunc in monasterio querunt, quæ nec foris habere potuerunt. Et infra : Nullus clericorum, charissime, modo discordat, sed unusquisque pondus religionis benigne portat; et quibus prius fuit gravior, nunc est gratior. Pro hoc igitur laboro, ut cum ipsis semper quietus vivam, et cum ipsis in pace moriar, cum ipsis et sub ipsis frater conservus. Et certe id factis præstitit Hugo, cum abbatiam Sancti Dionysii apud Remos constanter recusavit. Hæc in specimine librorum De claustris animæ sufficiant, auctore Hugone, quem non dubito in monasterio Corbeiensi educatum, et litteris informatum fuisse, priusquam ad S. Laurentii solitudinem secederet. Unde Regulam S. Benedicti passim in illis libris laudat, imo et in multis secutus est.*

Alia quoque scripta composuit idem auctor : qualis est libellus ad amicum volentem nubere, qui domni Hugonis de Folieto nomine inscribitur in codice Fulcardi montis, ut jam superius observavimus. Ad hæc in codice Aluensis monasterii in Belgio, ordinis Cisterciensis, legimus aliquando librum magistri Hugonis de S. Laurentio *De medicina animæ*, cujus prologus sic incipit : *Cogis me, frater charissime, etc.* Legimus denique ibidem alium prologum magistri Hugonis prioris S. Laurentii in libro de pastoribus et ovis sub hoc exordio : *Tibi frater, qui in grege, etc.* Hæc sunt quæ nobis de hoc eximio viro in evolvendis bibliothecis occurrerunt.

NOTITIA ALTERA.

(FABRIC. *Biblioth. med. et infim. Lat.*, t. III, p. 294.)

Hugo de Folieto, canonicus regularis S. Petri Corbeiensis in Picardia, et prior S. Laurentii in agro Ambianensi, ac denique circa annum 1140 cardinalis. *Singularis vitæ et nobilitate scientiæ et eloquentiæ laude commendatur a S. Antonino in limine tituli xviii Summæ historialis. Scripsit librum quadruplicem De duodecim claustris abusibus (5), et de claustris materialibus, de claustris spiritualibus, de claustris animæ, et de claustris paradisi. Vide Trithemium de S. E. cap. 374, et Illustr. Benedictin. II, 115, et qui excerpta ex hoc Hugonis libro offerunt. Vincentium Bellov. Speculi Historialis lib. xxvii, cap. 18 seq., et Antoninum tit. xvii, Summæ Hist., c. 2. Liber ipse editus inter Hugonis de S. Victore Opera, cui præter rem tributum notarunt Labbeus tomo I, de S. E. pag. 492; G. Colvencrius ad Joannis Nideri Formicarium pag. 47 seq., alique. Præter hunc librum de claustris animæ pag. 134 a Sanderone in Catalogo mss. Belgii memorantur pag. 224 tractatus De tribus columbis, qui pag. 93 libellus ad fratrem Rainerum, cui titulus : *Columba deargentata*, et pag. 131, *De turture et passere*. Non diversi hi sunt a libro De avibus ad Raynerium, qui cum picturis avium in codicibus mss. occurrit, atque Petri Damiani opusculo 52 multa debet : editus autem est inter Hugonis a S. Victore Opera cum libris De proprietate ferarum et animalium, quorum primus Alano Insulensi, tertius et quartus Guilelmo Peralto a viris doctis ascribitur. Vide Oudinum tomo II, pag. 1107 seq., qui Hugoni de Folieto etiam vindicat libros duos *De nuptiis carnalibus et spiritualibus*, sive *De nuptiis fugiendis, ad socium volentem nubere; nec non libellos iv De vanitate mundi, et libros v De arca, et mystice et moraliter, qui inter Opera Hugonis Victorini leguntur, et Speculum peccatorum, quod exstat in appendice ad tomum VI Augustini, pag. 635 editionis Amstelod. Si Albericum p. 264 Chronici, ad A. 1130, audimus, Hugo de Ordine Præmonstratensi fuit, qui scripsit *De avium natura, moraliter et allegorice, et De claustris animæ, et De medicina animæ*. Omitto quod a G. Josepho Eggs in Purpura docta, tomo I, pag. 75, Hugoni de Folieto tribuuntur libellus de patriarchis et de disciplina, ad religiosos, rectius fortasse ad Hugonem alium auctorem referendi.**

De Scriptis Hugonis de Folieto vide Prolegomena nostra ad Hugonem Victorinum et inter Appendices ad Opera ejusdem, Patrologiæ tom. CLXXV, CLXXVI, CLXXVII. EDIT.

(5) Duodecim illi abusibus sunt : *Prælati negligens, discipulus inobediens, juvenis otiosus, senex ebrius, natus, monachus curialis, religiosus caudicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor in claustris, licet in capitulo, dissolutio in choro, irreverentia in altari.*